

habet partes: mens est res vna & integra; neque facultates intelligendi, volendi, sentiendi, recordandi, iudicandi, &c. eius partes dici possunt; quia vna & eadem mens est, quæ intelligit, quæ vult, quæ sentit, quæ recordatur, & iudicat. Ita quoque modi mentis a modis corporis valde sunt distincti. Voluntate & desiderio ferri ad quoddam obiectum, quantum differt a motu vnius corporis versus aliud corpus? Amor & cupiditas summi boni & communionis Dei quam dissimilis est motui corporis parui versus aliquod magnum? Ita acquiescentia mentis in Deo, quantum differt a quiete corporis in quodam loco? In corpore est color, lux, calor, frigus, grauitas, leuitas, durities, mollities, fluiditas, siccitas, humiditas, sonus, sapor, odor &c. in mente vero est cogitare, intelligere, velle, affirmare, negare, cupere, auersari, sperare, metuere, &c. quorum nihil corpori tribui potest.

XLVII. Vnde facile deducitur, *animas hominum non potuisse unquam fuisse in status simpliciam elementarium, ex quibus mundus est compositus, & omnia mundi corpora; nec ea simplicia potuisse mundum per ideas representare, ne quidem obscure; nec animas brutorum clare.*

XLVIII. Restat, ut de quarta specie aliquid dicamus: Quartus representandi modus dicitur esse intellectus Diuini, & hic representatio simultanea & distincta omnium possibilium. Subest ratio, ob quam auctor non loquatur conuenienter praecedentibus de ipso Deo; ne scilicet nimis esset manifestum, Deo tantum tribui potentiam representandi; vt alibi Deum ipsum definit. Sed id heic occultatur, dum loquitur de intellectu Diuino. Sed non intelligo, quare non dicat, eum esse simultaneam & distinctam intelligentiam, cognitionem & scientiam omnium rerum existentium in hoc mundo, praeteritarum, praesentium & futurarum, ut & omnium possibilium, nim. secundum eius hypothesin, in alio mundo; nam in hoc mundo nihil, nisi actuale, possibile agnoscit. Omnia corpora, etiam humana, statuit machinam esse ita tensam, vt omnes eorum motus necessario sic eveniant, vti eueniunt: ita & omnes mentes ipsi sunt aliæ machinæ ita tensæ, vt omnes ideæ, perceptiones & cogitationes necessario euoluantur & orientur, & quidem respondentes omnibus iis motibus. Quæ est illa harmonia præstabilita, ex nexu rerum omnium æterno, fatali & necessario; quem